GENERALIA
DE
HAEMORRHAGIIS.
DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,

QUAM AB

INCLYTA FACULTATE MEDICA PESTIENSI

APPROBATAM

PRO


DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

OBTINENDA

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

LJUBOMIR RADIVOJEVICS,

SERBUS KAMENICZIO-SYRMIENSIS.



Theses adnexae defendentur in palatio universitatis minori, mensis Novembris die   an. 1846.

PESTINI,

TYPIS JOSEPHI BEIMEL.

1846.

НЪГОВОМЪ ВЫСОКОРОДІЮ,

КНЯЖЕСКО-СРБСКОГЪ СОВѢТА

ПРЕДСѢДАТЕЛЮ

И

КАВАЛЪРУ,

ГОСПОДИНУ

СТОЯНУ СИМИЋУ,

КАО СВОМЕ ПРЕМИЛОСТИВОМЪ

БЛАГОДѢТЕЛЮ

ИЗЪ

СВЕСРДНОГЪ ВЫСОКОПОЧИТАНІЯ

И

БЛАГОДАРНОСТИ

посвећує

САЧИНИТЕЛЬ.

Sangvine e vase suo egresso **haemorrhagiam** (кровизлитіе, Blutung) adesse dicimus.

Ratione causarum distingvimus haemorrhagias mechanicas et spontaneas: *mechanicae* sunt illae, quae obtinent, dum vasa sangvifera per vires mechanicas *externas* sauciantur; *spontanearum* vero haemorrhagiarum causae saltem maxima ex parte sunt vires *ipsius organismi*. De spontaneis hisce haemorrhagiis nobis hic loci praeprimis sermo erit.

Haemorrhagiis solum genus humanum obnoxium est, cujus rei in anatomia comparativa mammalium, spectato systemate vasorum sangviferorum sufficientem rationem non deprehendimus. — Quaedam organa prae aliis in haemorrhagias magis proclivia sunt; adjuncta quae id efficiunt, procul dubio sunt sequentia: vitalitas organi eminentior, copia vasorum sangviferorum in eodem major, functio ejus secretoria texturaque laxa. — Ratione organorum in quibus haemorrhagiae obveniunt, sequentes sunt praecipuae earum species; epistatis, stomatorrhagia, haematemesis, haemoptoe, pneumonorrhagia, metrorrhagia, fluxus catamenialis, haematuria, apoplexia; ex his unicus fluxus catamenialis ad functiones organismi humani normales spectat, reliquae vero omnes pathologicae sunt.

Haemorrhagiis semper aliae aliquae adfectiones morbosae, utplurimum congestiones et infarctus subsunt; sed non raro primariae hae adfectiones longe minoris sunt momenti, quam ipsae ab iis dependentes haemorrhagiae, atque in tali casu, neglecto proprio illo morbo primario, haemaemorrhagia pro tali est ha-

benda, sicut v. c. in haemoptöe orta e physconia hepatis, vel in apoplexia, cujus causa proxima est vomitus, remotior vero gastricismus, id locum habet.

Per haemorrhagias aut *purus*, aut aliis materiis *mixtus* sanguis egeritur; solet autem haemorrhagicus sanguis misceri sero, muco, puri, ichori, succis primarum viarum, omnibusque aliis fluidis aut fluido — mollibus, quae ei momento effusionis, aut dum is foras petit, obvia fiunt. — Extravasatus sanguis nonnunquam ruber, alias niger est: *ruber* color semper sangvinis ex arteria effusionem indicat; *niger* vero est semper sanguis venosus, sed etiam arteriosus talis evadit, si extravasatum, antequam foras penetrasset, diu intra organismum haeserat, ubi interea desoxydabatur. — Sangvinis haemorrhagici puri longiori intra organismum commoratione etiam id efficitur, ut extravasatum *coaguletur*; coagulari autem non potest sangvis, qui mox post effusionem muco, sero, aut aliis heterogeneis commiscetur; sicut et in extravasatis quamvis pure sangvineis multarum passivarum haemorrhagiarum, ob crasim sangvinis id secum ferentem, coagula aegerrime formantur.

Quantitas sangvinis, uno insultu haemorrhagico evecti diversissima esse solet; meminerit autem medicus, eam praeprimis in haemoptöe et haematemesi vix non semper esse multo minorem, quam ab aegris perhibetur, rarissimi enim aegri sunt, qui viso sangvine, per tussim aut vomitum ejecto, magno non percellerentur metu, ob quem deinde quantitatem sanguinis exsputi nunquam non majoris aestimant, quamfas est. — *Effectus* cujusvis aliquantum notabilioris quantitatis sangvinis per haemorrhagiam amissi alius est, si haemorrhagia praeceps, et alius, si ea lenta fuerat.

Duratio quoque haemorrhagiarum nimiopere variat: ea nonnunquam aliquot minuta prima vel horas non excedit, alias in dies et menses, imo etiam annos, licet non continua, protrahitur. — Notatu dignus

est nisus haemorrhagiarum in *recidivas*, qui tantus est, ut vix reperias hominem, qui sua vita unica tantum vice haemorrhagia laborasset. Haemorrhagiae, dum redeunt, vel eadem ut olim, vel alia invadunt organa. Praecipua redeuntium haemorrhagiarum causa procul dubio posita est in eo, quod morbi earum subjectivi raro mox post primum insultum haemorrhagicum ex integro sufferantur.

Modi, quibus sangvinis egressui e vasis via panditur, sunt: a) rhetis, i. e. ruptura vasis; b) diabrosis, dum vasa pure aut ichore quodammodo exeduntur; c) diapedesis, haec est species transsudationis, sub qua sangvis per parietes vasorum, quin ii saucientur, penetrat.

Diagnosis.

Sanguine in conspectum veniente nullum superest dubium, quod haemorrhagia adsit, atque hoc in casu diagnosis nullis premitur difficultatibus; dicitur talis haemorrhagia *externa*. Sed non tam facili negotio cognosci possunt haemorrhagiae *internae*, i. e. sangvinis effusiones in loca talia, e quibus is per vias naturales in lucem prodire non potest. Ad has cognoscendas deducimur pluribus, iisque pro diversitate loci, temperamenti, habitus, aetatis, sexus etc. diversissimis symptomatibus pathologicis, quorum praecipua sunt: tumor jam major jam minor, qui nonnunquam adeo celeriter increscit, ut subito exortus esse videatur, turbata functio organi, in quo talis tumor sedem suam habet, in eadem plaga sensus aucti caloris, sensus pressionis in organa contigua, eorumdemque organorum turbatae functiones; sympathicae adfectiones organorum dissitorum, uti: cutis pallor, depressa temperatura et siccitas, venarum per eam transparentium tenuitas, totius corporis collapsus, illusiones sensuum externorum, lipothymiae, arteriarum pulsus debilis irregularisque.

Postquam medicus haemorrhagiam cognovisset, omnes ingenii sui nervos intendat, ut *characterem* quoque morbi eruat, qui vel activus vel passivus esse solet:

Activae haemorrhagiae aggrediuntur subjecta utplurimum in aetate juvenili et virili constituta in genere prospera valetudine, praecipue vero sanguine, globulinae magna copia referto, gaudentia. In iisdem hisce subjectis *proclivitas* in haemorrhagias activas nimiopere exaltatur per adjuncta plethorae faventia. *Causae occasionales* consvetae sunt: omnes corporis adstrictiones nixui junctae, motus activi, vehementes animi affectus, et ipsae causae praedisponentes magno in gradu evolutae. Haemorrhagias activas praecedere solent quaedam symptomata, quorum summa efficit sic dicta *molimina haemorrhagica*; haec sunt: coenaesthesis alienatio, dolores inconstantes vagi, qui sensim sensimque concurrunt et concentrantur in organo, in quo haemorrhagia locum habitura est; in eodem organo obscurus quidam pressionis, tensionis aut titillationis, auctique caloris sensus, nonnunquam horripilationes et horrores aegram perstringunt, extremitatesque frigore corripiuntur, nec absunt palpitationes cordis cum anxietate praecordiali, pulsuque arteriarum suppresso, duro, dicroto. Haec circiter sunt prodroma haemorrhagiarum activarum, tamquam molimina sangvinis propria vi e vase suo prorumpere nitentis. Posteaquam vero is prorupit, nisi apoplexia aut suffocatio vitae finem imponat, in locum priorum sequentia succedunt phoenomena: ea ratione, qua sangvis effunditur, disparent indicia localis congestionis, dolores evanescunt. calor aequabilis per totum corpus distribuitur, cordi et arteriis debitus rhythmus restituitur, reditque sensim gratus restauratarum virium et melioris valetudinis sensus. Haec est morbi facies tamdiu, quamdiu per magnam sanguinis jacturam signa anaemiae non provocantur. Ad cognoscendum activum haemorrhagiae

cujuspiam characterem confert etiam indoles sanguinis, qui sit ruber, plasticus, post coagulationem dans placentam magnam, firmam, serumque limpidum, et cum quadam vi stillet ex organo unico. Haemorrhagiae vicariae et criticae hunc characterem prae se ferre solent.

Passiva e contra haemorrhagiae invadunt subjecta in genere debilia, omnium textuum organicorum, imprimis vero vasorum laxitate et sanguinis serosa aut plane septica crasi insignia. Eae, quin per aliquam notabilem causam occasionalem invitentur, potissimum sponte ingruunt, absque praecedentibus moliminibus haemorrhagicis, et etiam absque inducto vel minimo levamine, quin imo lapsus virium pari passu cum jactura sangvinis continuo incedit, et nisi haemorrhagia mox sistatur, signa anaemiae, sequuntur. Sangvis talium haemorrhagiarum est saepissime niger, serosus, in dissolutionem pronissimus, coagula in eo difficulter formantur, cum placenta parva, molli, seroque turbido; saepe eodem tempore pluribus e locis sangvis manat.

Multum tamen abest, ut de singulis quibusvis haemorrhagiis cum certitudine dici possit, ad quam e dictis duabus speciebus ea pertineat, cum in multis casibus nec notabilis gradus augmentum, nec vero lapsus virium haemorrhagias comitetur, neque alia ex adductis distinctivis activarum et passivarum haemorrhagiarum signis justo numero manifeste adsint, ut id de epistati quotidiana experientia testatur.

Aetiologia.

Disponuntur in haemorrhagias organismi, in quibus systema vasorum inter caetera magis est evolutum, praeterea, quorum sangvis globulina aut absolute aut relate ad fibrinam justo magis abundat, item quorum solidomollia, praeprimis vero vasa, textura laxa, et humores nisu in dissolutionem insigniuntur; hinc se-

xus sequior, temperamentum sangvineum, habitus apoplecticus, phthisicus, et scrofulosus, flosque aetatis homines prae aliis in haemorrhagias magis proclives reddunt; haereditaria quoque dispositio in quasdam haemorrhagiarum species, praecipue in haemoptöen et metrorrhagiam, apoplexiamque est observata. Singulari ratione aetas puerilis in epistatim, juvenilis in haemorrhagias pulmonales, virilis in eas organorum cavi abdominalis, et senilis in apoplexiam nituntur.

Praesente dispositione origini haemorrhagiarum *ansam* dant 1. Omnia ea, quae quantitatem et expansionem sangvinis augent, circulationemque ejus celeriorem reddunt; huc spectant: nutrimenta et potulenta abunde nutrientia et stimulantia, medicamenta quoque e classe diversimode stimulantium et roborantium, item omnes diaetetici hujus generis influxus, vehementesque animi affectus. 2. Quae sangvinis circulationi impedimento sunt, uti: topicae habituales congestiones aut stases, infarctus viscerum, vitia organica cordis et pulmonum, uti: insufficientiae et stenoses valvularum cordis, ejus ventriculorum hypertrophiae, emphysema pulmonum etc.; quaedam vestimentorum genera corpus alicubi constringentia, uti collipendia, diversaque alia cingula; magna virium adstrictio per diuturnum et vehementem motum, difficiles labores, nixum, cantum etc. 3. Diversarum naturalium aut vero consvetarum secretionum et evacuationum justo major parcitas, sive plenaria vel saltem diuturnior quam secus emansio, cujus originis haemorrhagiae *vicariarum* functionum instar habendae sunt. 4. Subita mutatio ponderis in medio ambiente, celeresque caloris et frigoris vicissitudines; hac ex causa vere et autumno haemorrhagiae frequentes sunt. 5. Nonnunquam haemorrhagiae invitantur per diversos morbos in congestione vel inflammatione fundatos, quorum vis deinde plus minus frangitur; haemorrhagiae tales *criticae* audiunt.

Sunt quoque haemorrhagiae, quae dependent a latente febri intermittente, ejusque larvam constituunt: tales haemorrhagiae typum febribus intermittentibus familiarem sequuntur.

Decursus et Prognosis.

Singuli insultus haemorrhagici morborum acutorum vel et acutissimorum instar cyclum suum brevi absolvunt tempore, diuturnus attamen nisus haemorrhagiarum in recidivas saepissime remanet. Sopitum insultum haemorrhagicum excipit vel sanitatis in integrum restitutio, vel anaemia et nonnulli morbi posthumi, vel denique ipsa mors.

1) Sanitas sequetur, si cessante sangvinis effusione, topicae quoque congestionis et plethorae indicia cum reliquis morbosis symptomatibus, quae haemorrhagiam praecesserant vel comitabantur, sensim sensimque disparuerint, grataque coenaesthesis pedetentim redeat. Hunc faustum terminum sperare licet, si haemorrhagia locum non habuit in nobili aliquo organo, praeterea in haemorrhagiis passivis, si eae simul cum congestione locali quo ocyus sufferri possint; in activis vero haemorrhagiis, si eae justum non egrediantur limitem, justus tamen hic limes nequaquam sola sangvinis profusi quantitate, sed etiam celeritate, qua is evacuabatur, et statu virium organismi totius definitur.

2) Anaemia facile inducitur per haemorrhagias passivas, per activas autem tantum tunc, si eae nimiae forent. Signa anaemiae sunt; sensus lassitudinis universum corpus occupans, lipothymiae etiam exiguis corporis commotionibus provocandae, cutis pallida, arida, collapsa, artus frigescentes, venae tenues, rubicundae, lingva pallida, sicca, sitis vehemens, post ingestos cibos crebri ructus, sensus nimiae impletionis et pressionis in regione epigastrica, noctes insomnes aut cum deliriis placidis, erethismus totius corporis,

praeprimis vero vasorum sangviferorum pulsu frequenti, parvo, debili, filiformi, caloribus fugacibus quam maxime vero strepitu sic dicto diaboli in arteriis carotidibus cognoscendo.

Morbi posthumi consveti sunt: a) inflammationes circumscriptae in circumferentia loci, e quo sangvis prorupit, aut circa enatum extravasatum; b) intumescentiae hydropicae plus minus diffusae, a sangvinis indole venosa reddita repetendae; c) denique producta dyscrasica cahexiarum in organismo profunde radicatarum, velut: tubercula post haemoptysin, scirrhus uteri post metrorrhagias, calculi urinarii, post haematuriam.

3) Denique ad mortem quoque haemorrhagiae ducere possunt. Infaustum hunc terminum haemorrhagiae utplurimum sequentibus tribus sortiuntur modis: a) si eae nobile quodpiam organon invadant; b) si per eas corpori necessaria ad vitam sangvinis quantitas subtrahatur, quo in casu mors cum convulsionibus et insultibus lipothymicis accedit; c) medio productorum dyscrasicorum.

E dictis ultro sequitur, a nonnullis haemorrhagiis bona exspectanda, ab alliis vero mala, imo e pessima metuenda esse. Praecipuae bonae spei conditiones sunt: minor gradus praegressae congestionis et subsecutae sangvinis effussionis, minor numerus insultuum haemorrhagicorum, absentia symptomatum periculosorum, indoles morbi vicaria aut critica et character activus, focus morbi superficiei corporis vicinior, dignitas organi adfecti minor, aetas individui juvenilis aut virilis, crasis sangvinis bona et in genere constitutio totius corporis satis laudabilis. Quo magis adjuncta morbi et individui a dictis abluserint, eo infaustior prognosis ferenda erit.

Therapia.

Curatio haemorrhagiarum multis obnoxia est varietatibus, imprimis pro diversitate morbi stadii, characteris, loci et causarum.

Si morbus adhuc in *stadio moliminum* versatur, ad praevertendam ipsam sangvinis eruptionem ordinabimus: ut situs aegro talis concilietur, in quo pars, e qua sangvis prorumpere nititur, quantum fieri potest, altissimum occupet locum, ut totius corporis, imprimis vero partis adfectae commotio omnisque adstrictio sollicite vitetur, ut solvantur vestimenta ab eadem parte refluxum sangvinis impedientia; äer aegrum ambians sit tantisper frigidus, victus frugalis cum aliquantum largiori usu aquae frigidae purae, vel sacharatae addita parva quantitate aceti, vini, succi citri, pomorum aurantiorum, rubi idaei, acidi tartarici. Haec saepe sufficiunt sopiendis levibus moliminibus haemorrhagicis; quodsi autem ob majorem morbi gradum non sufficerent, nitrum cum vel sine digitali purpurea, nec non purgantia antiphlogistica, uti: cremor tartari, sal Glauberi, arcanum duplicatum etc. in auxilium vocanda sunt; nonnunquam plethora et congestio notabilior ad organon quodpiam nobile ipsam venaesectionem necessariam reddunt.

Si *haemorrhagia* jam praesto est, ante omnia in characterem ejus indagandum.

Si character haemorrhagiae *activus* fuerit, ordinatis illico iis, quae sub minoris gradus moliminibus commendavimus, ulteriorem medelam aliam instituemus si haemorrhagia *moderata*, aliam si ea justo *parcior*, et iterum aliam si ea justo *profusior* fuerit.

a) In haemorrhagia moderata nihil amplius suscipiendum, solet enim hujus conditionis profluvium sanguinis tamdiu solum durare, quamdiu status morbi exigit.

b) Si haemorrhagia justo parcior foret, ea promovenda est, quod optime fomentationibus tepidis organi adfecti fit; nunquam attamen licet promovere haemorrhagiam in organo aliquo nobili, quae semper periculi plena est, sed evacuatio sangvinis, si quae necessaria foret, instituatur potius venaesectione aut adhibitis hirudinibus in plaga aliqua a loco affectionis remota; salutaris hoc in casu erit etiam usus purgantium antiphlogisticorum: cremonis tartari, arcani duplicati etc. item epispasticorum extremitatibus, quae tunc vi antagonismi utplurimum in statu anaemico versantur, applicandorum, uti: sinapismi, corticis Mezerei, balneorum acrium etc.; usus emeticorum periculo non caret, eum purgantia antiphlogistica etiam plane superfluum reddunt.

c) Si haemorrhagia esset justo profusior, ea quo ocyus sistenda est: hunc in finem aegro interne dabimus: acida mineralia fortiora, uti phosphoricum, muriaticum, sulfuricum, elixirium acidum Halleri, praeterea cauta manu adstringentia et roborantia, uti: gummi Kino, Catechu, corticem quercus, Chinae, folia rosae rubrae, radicem tormentillae, ratanhiae, alumen, praeparata Ferri; in auxilium vocabimus, si adjuncta loci admiserint, etiam compressionem mechanicam vasis, e quo sangvis manat epithemata frigida, et fomentationes cum solutione acetatis plumbici, aquae vulnerariae Thedeni.

Singulari ratione in sistenda haemoptöe agit notabilis quantitas salis culinaris in ventriculum ingesti, in haematemesi frigus scroto applicitum, in metrorrhagia secale cornutum et cinnamomum.

In haemorrhagiis *passivis* illico exsurgit necessitas eas sopiendi, id quod praestare conabimur remediis, quae in haemorrhagiis activis profusis jam commemoravimus.

Haemorrhagiae, quae febris intermittentis larvam

constituit, opponemus praeparata Chinae, aliaque, quibus secus febres intermittentes vincuntur.

Durante haemorrhagia lipothymiae et convulsiones nonnunquam evenientes promptam exigunt medici opem: illis occurrimus res intense odoras, uti aetherem aceticum, spiritum cornu cervi, fumum plumae accensae etc. naribus admovendo; his vero, per opium, aquam laurocerasi, castoreum, vel, si convulsiones ab anaemia dependent, per therapiam mox in cura anaemiae adferendam.

Post sopitum insultum haemorrhagicum saepe residua anaemia cum erethismo, et nisus in recidivas peculiari cura digna sunt. — In anaemia prosunt initio lichen islandicum, quassia, trifolium fibrinum, serius vero Chinacea et Martialia et his similia vegetationi faventia, —

Nisus haemorrhagiarum in recidivas passim solventibus et roborantibus impugnandus est; solet enim is maxima ex parte dependere a necdum sublatis causis ipsarum praegressarum haemorrhagiarum, quas consistere diximus utplurimum in plethora, congestionibus localibus, infarctibus viscerum, et diversis dyscrasiis sangvinis cum tempore in omnibus fluidis proclivitatem in dissolutionem, in solido mollibus vero laxitatem producentibus; atque in his malis sanandis utilem praestant operam remedia e classe diversimode solventium et roborantium, ut id specialis horum morborum Therapia docebit.

Theses.

1. Haemorrhagiis semper aliae aliquae affectiones morbosae subsunt.
2. Auscultationis et percussionis eximia est utilitas etiam in eo casu, dum medio earum morbi quoque insanabiles cognoscuntur.
3. Vis naturae medicatrix et diaeta congrua multis morbis sanandis sufficiunt.
4. Multa, praecipue sic dicta sangvinem depurantia remedia debito aquae frigidae usu suppleri possunt.
5. Medicus nequaquam venenis utitur.
6. Non datur aliud nutrimentum, quod infanti ita proficuum esset, ut lac sanae matris.
7 Per Anatomiam pathologicam Diagnosis morborum multum perficitur.
8. Unica existit syphilis, distinctioque ejus in blenorrhoicam et cancrosam non fundatur in essentia rei.
9. Febris intermittens fundatur in affectione nervosa.
10. In typho primaria affectio sita est in irritatione membranae mucosae.
11. Non semper, dum sangvis e vasis egreditur, laesio continuitatis vasorum adest.